

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema XLIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

L. In maximis angustiis sciamus auxilium Dei nobis esse proximum. Plerumque enim differt auxilium, vsque dum ad summum peruenit nostra miseria. Vbi desinit humanum, ibi incipit diuinum, Josaphat. 2. Paralipp. 20. vers. 12. Vide de hoc Dispositionem proxime præcedentem, parte 3.

IV. Ratio petitionis. Tu facile potes succurrere miseris: cum omnia sint in manibus tuis. Tanta est tua omnipotentia, vt nunquam desint tibi vires, ad iuuandum. Magister es ad saluandum, Esa. 63.

L. Notanda semper & firma fide tenenda hæc consolatio, nullam esse calamitatem tantam, quin Deus possit iuuare, vel vno verbo, vt credit centurio ille Capernaïticus, Luc. 7. v. 7. Nec abbreviata manus Domini, Esa. 59. v. 1. Ergo nunquam desperandum.

V. Argumentum. Neminem præter te habemus, qui possit iuuare. Ideoque tibi committunt se omnes pauperes & derelicti, qui sunt tanquam orphani in mundo. Tu pauper orphanorum & omnium miserorum, Esai. 64. Psal. 68. v. 6.

L. Si nemo sit qui iuuare vellet aut possit, ne pater & mater quidem, tamen de Deo non dubitandum, quæ verus pater est, Eph. 3. v. 15. Huc pertinent illa, Psal. 27. v. 10. 2. Tim. 4. v. 16. Joh. 14. v. 18.

F I N I S.

T H E M A XLIV.

Psal. 16.

*Non derelinques animam meam in inferno, nec cabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas fecisti mihi vias, & cætera ad finem.*

D I S P O S I T I O.

Hæc verba Dauid non principaliter in sua persona, sed in persona filii Dei, Domini nostri Jesu Christi, loquutus

tive est, quod nobis duo Apostoli, testes omni exceptione maiores, demonstrant. Petrus enim Act. 2. v. 30. testatur, Dauidem cum sciret (propheticis prædictis spiritu) de lumbis suis nasciturum Christum, hæc præsertim loquutum esse de resurrectione ipsius, &c. Paulus vero Act. 13. v. 36. docet, Dauidem quidem vidisse corruptionem: at Christum illam non vidisse: Ideoque de Christo hæc verba intelligenda principaliter.

Cum autem duo Articuli symboli nostri Apostolici, ad Christum spectantes, videlicet V. & VI (qui sunt de resurrectione, & gloriosa Christi sessione ad dexteram Dei, &c. hic explicentur: at vero alii duo, videlicet XI. & XII. ad nos pertinentes (qui de resurrectione, & vitæ æternæ tractant) ab his præcedentibus dependent, agite, quomodo scriptura de illis loquatur, & quomodo in eis salus quoque nostra fundata sit ordine iam videbimus.

### I. Pars.

Credimus & confitemur, Christum descendisse ad inferos & resurrexisse à mortuis.

Hunc nobis articulum etiam Veteris Testamenti Scriptura dicitur: annis mille antequam Christus resurgeret. Eadem enim doctrina in Veteri & Novo Testamento fuit de Christo: excepto hoc, quod illi crediderunt passionem & glorificationem Christi futuram: nos vero iam passionem præteritam & glorificationem Christi præsentem credimus.

Eleganter autem David in persona filii sui loquitur, de gloriofa illa victoria, quam Christus ab inferno & morte reportauit.

Animam meam in inferno non relinques.

Non autem dicemus de illis cruciatibus & doloribus inferni, quos Christus adhuc viuis in monte Oliueti & in agone mortis, in cruce pendens, sensit, de quibus Luc. 22. v. 44. Matth. 28. v. 26. sed de gloriofa ipsius in ferni destructione, de qua Ose. 13. vers. 14. sic exultat, Ero morsus tuus ô inferne.

Christi enim anima, cum corpore tempore resurrectionis coniuncta, non amplius dolores inferni sensit, sed de inferno gloriose Christus triumphauit, & fracto aculeo mortis, Diabolum vicit atque debellauit, 1. Cor. 15. v. 21. Heb. 2. v. 14.

[NOTA. Nos cum Formulâ Concordiæ, Christi ad inferos descensum, non ad tempus passionis, sed glorificationis referimus. Sicut etiam idem membrum cum articulo resurrectionis in simbolo coniungitur: & ordinatione post passionem ponitur, atque à Petro, Act. 2 ad eundem modum explicatur, quod hæc verba de resurrectione Christi gloriosa sonent, v. 31. Sed hæc non scrupulose virgenda, nec corâ vulgo de his disputandum.]

2. De resurrectione sic vaticinatur Dauid, & introducit Christum exultantem Non dabis *sanctum tuum*, videre corruptionem. Sanctum illud ex Maria nasciturum, de quo Luc. 7. v. 35. intelligit. Nec etiam consumptus & reclusus est Christus à vermibus.

Læturur itaque in spiritu: quod scit, se reportaturum tam gloriosam victoriam, ab inferno & morte.

LOCVS, Beatos autem nos, & ter quaterque beatos, propter quos hæc facta & scripta sunt, vt per consolationem spem habeamus, Rom. 15 v. 4.

Nobis enim infernum destruxit, qui sanctus est natus, Nobis corruptionem sustulit, ne nocere posset resurrectioni carnis nostræ, 1. Cor. 15. v. 42. 43. Nos enim immundi) Job 14. v. 4. & ex immundo (Psal. 51. v. 7.) concepti semine, ad inferos eramus deturbandi, & quos æterna (quæ secunda mors est, Ap. 21 v. 8.) arrodere debebat.

At sanctus ille, de quo Ioan. 8. v. 46. Heb. 7. v. 26. Sanctus sanctorum, Dau. 7. (qui in puluerem propterea redigi non potuit, quia sanctus) nobis impetrauit hoc apud patrem, vt ab inferno & morte æterna tuti esse possimus. Vide Heb. 7. v. 25. Gratia itaque omnis ipsi debetur, 1. Cor. 15. v. 57.

CON-

CONSOLATIO hæc esse debet maxima contra illos horrores inferni, de quibus Psal. 71. v. 10. & 18. v. 6. & 116. v. 3. & contra terrores mortis æternæ, Ps. 116. v. 3. & 17. v. 5.

## II. Pars.

Nunc etiam fructum gloriosæ resurrectionis addit: & gloriosum Christi statum, siue maiestatem illam, quam articulus symboli nostri vocat sessionem ad dexteram Dei, describit.

Tria autem describit gloriosa & magnifica.

1. Notas mihi fecisti semitas vitæ. Cum viderer alii mortuus & extinctus, tu me ad vitam reduxisti: & viuum declarasti. De quo Acto. 2. v. 32. Ephes. 1. v. 20. Roman. 6. vers. 4.

2. Satietas gaudiorum coram te. Summam & æternam beatitudinem regni cælestis intelligit, in quod Christus post resurrectionem translatus est. De quo Acto. 3. v. 21. Cælum oportuit ipsum capere, Matth. 28. v. 18.

3. Delectationes in dextera tua in æternum. De gloria, quam ex sessione ad dexteram Dei Christus accepit, ratione carnis suæ, loquitur: de qua Phil. 2. vers. 9. Eph. 1. v. 21. &c.

Plurima hinc discenda. Pauca tantum attingemus.

I. Magna consolatio proponitur, quod Christus aperuit nobis semitas vitæ, clausas ob peccatum. Sicut enim Protoplasti Paradiso pulsi; sic nos regno Dei exclusi. Christus autem perruptor Mich. 2. vers. 13. viam parauit, per quam itur ad patrem. Sine ipso nemo veniret vnquam illuc, Ioan. 14. vers. 6. Itaque ipse via est, Ioh. 14. vers. 5.

II. Non autem per aliam viam, quam per iustitiam Christi itur in cælum. Is factus est iustitia, 1. Cor. 1. v. 30. Ier. 23. v. 6. Nemo nisi fur aut larro sit, per aliud ostium ingreditur, Ioan. 10. Nec est in alio salus, Act. 4. v. 12. Christus direxit nostros pedes in viam pacis, Luc 1. v. 79. Hæc est angusta illa via & porta, Matth. 7. vers. 13. Valeat ergo

OMNIS

omnis operum iustitia, quæ pannus menstruatæ est, Esai. 64.

III. De gaudio vitæ æternæ hic dicendum. Cuius initia sentimus in hac vita. Speculati, Rom. 8 v. 24. 1. Joh. 3. v. 2. Estque hic gaudium in Spiritu sancto, Roman. 14. At in specula ista videmus. 1. Cor. 13. v. 12. Itaque fatietas nondum nobis contigit.

Ibi vero saturabimur imagine Dei, Psal. 17. v. 15. Auris non audiuit: oculus non vidit, Esai. 64. 1. Cor. 2. v. 9.

1. Consolationem hinc petant omnes, qui in mundo pressuram habent. Joh. 16. vers. 33. Ibi gaudium erit, quod nemo tollet, Joh. 16. v. 22.

2. Cupiamus mori & dissolui, Phil. 1. v. 23. & desideremus superindui, 2. Cor. 5. v. 2. atque dimitti, Luc. 2. v. 29. Quia hic gaudium omne luctus excipit, Prouer. 14. v. 13. At ibi nec luctus, nec clamor, Apoc. 21. v. 4. Gott woll daß wirs erleben. Alleluia.

F I N I S.

T H E M A XLV.

Psalm. 17.

*Ego in iustitia contemplanus faciem tuam, satiabor, cum euigilauero, imagine tua.*

D I S P O S I T I O.

Dauid in verbis præcedentibus huius Psalmi dixerat, Impios in hac vita accipere suam portionem, & omnem felicitatem suam in rebus terrenis collocare, si impleatur venter illorum, & relinquat filiis bona sua, v. 4.

Hi certe cum Epulone bona sua recipiunt in hac vita, postmodum cruciantur. Luc. 16. v. 25.

Contra vero idem Dauid in his verbis Psalmi ostendit, in quo ipse suam felicitatem querat, & quæ maximè ipsius lætitia. Qui itaque non cum impiis, post huius mundi gaudia, volunt cruciari, illi cum Dauid sentiant hoc loco.

D. cc.